



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Horologium Spirituale Scholasticorum Societatis Jesu

Dirckinck, Johann

[Osnabrugi, 1696

Præparandi se ad sacrum vel communionem].

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55025)

HORA VII.

SACRUM, vel COMMUNIO.

§. I.

Præparatio ante Sacrum vel
Communione.

I. **P**robet autem seipsum homo & sic de
pane illo edat. Clamat Apostolus, I.
Cor. 11. Ideoq; ad hoc opus omnium to-
tius diei præstantissimum, omni possibili
diligentiâ te præpara. Præparatio autem
duplex est, remota & proxima. Remota
consistit in vita ordinata, mortificata & ac-
curata tam in parvis, quàm in magnis, qua-
lem in hoc libello describimus. Proxima
consistit in animæ puritate, fide viva, desi-
derio ardente, humilitate profunda, & de-
votione actuali, & fervore sancta sanctè tra-
ctandi. Unde S. Bonaventura ait: *Cum Sa-
cerdos fuerit totus alteratus & quodam-
modo divinus effectus, ita ut nil nisi Deum
videat. tunc accedat. Hos calores sacros
experiebatur S. P. N. Ignatius, tantis inter-
dum sub sacrificio ardoribus æstuans, ut
omnes partes corporis exardescerent, ve-*

neque omnes manifestâ cordis palpitatione micarent. P. Lancic. opusc 18. c. 9.

Tu ad aliquem saltem fervorem ac devotionem excitandum, imitare B. Aloysium qui tribus prioribus hebdomadis diebus pro suscepta Eucharistia, gratias agebat; posterioribus, dignè suscipiendi gratiam flagitabat. Pridie diei communionis id unum mysterium in ejus sermonibus versabatur; cum hac cogitatione lectum petebat & surgebat: unâ deinde horâ de SS. Eucharistia meditationem instituebat, totumque tempus matutinum in spiritualibus exercitiis insumebat. L. 2. vitæ. c. 2.

Imitare hoc Scholasticorum lumen: præmitte opus aliquod humile, charitatis, poenitentiae, mortificationis, misericordiae corporalis aut spiritualis, occasionem hujus Scholæ pauperes præbebuut. Vel maxime autem devotio, reverentia, desiderium, humilitas, aliaeque virtutes excitantur meditatione. Proinde ex sequentibus, pun-

ctum unum meditandum
selige.